



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Opvs De Iudiciis Divinis, Qvae Devs In Hoc Mvndo Exercet

Accessit index concionatorius in omnes totius anni dies Dominicos &
Festos, ab ipso Auctore confectus

Stengel, Georg

Ingolstadii, 1651

13. Quid Pij II. Pontificis portenderit corona?

urn:nbn:de:hbz:466:1-45653

poralis, quam pro Christo deserui: illa vero, quam gesto in capite, corda
na est, quam communem cum Sanctis accepi. Et ut tibi fidentius in hac
uisione credatur, secundum fidem tuam, sanus eris ab omni incommodo
quo torqueris. Vides coronam Sancto huic geminatam? Neque
in hoc numero concludit coronas Deus; sed multiplicat eas ad
numerum meritorum.

XIII.
Io. Anton.
Campan. in
vita eius.

In vita Pij Secundi Pontificis Maximi memoratur, eadie,
eaque hora, qua decessit, Amonæ in Hetruria Camaldi, quod est
in Apennini iugo, senem Germanum, victu aspero, sex & qua-
draginta annos intra facelli claustra emaciatum, atque inter co-
nobitas miraculis clarum, fortè egressum ad limen primum vesti-
buli, subitò exclamasse, videre se magnum sacerdotem, CORO-
NA TRIPLICI & candidissimo amictu ferri in cælum, comitan-
tium virguncularum cætu & nubecula septum. Attonitis qui ade-
rant, & quid esset conijcientibus, quarto post die, quantum iti-
neris Amona distabat, nuncius de morte Pontificis affertur, tem-
pore & habitu conuenientibus. Qua in historia triplicem vide-
mus coronam vni capiti decretam. Non exhauritur Deus, cen-
tum coronas accipies, si centum merearis.

XIV.
2. Cor. 9. 6.

Quo rursus fundamento mortales præclare animantur,
ne sint socordes. Qua enim re se sinent inuitari, si se non sinunt
inuitari præmijs, aut eorum amissione commoueri? At qui parca
seminat, parca & metet. & qui seminat in benedictionibus, de benedictio-
nibus & metet. Nemo igitur sementem spargat parca, nemo con-
tracta, sed plena manu; sed toto, quod dicitur, facco. Nemo
putet, se plus alijs, aut plus æquo laborare. Qui plus laborat, plus
sibi gloriæ coaceruat: & ad magnitudinem operis, extenditur
magnitudo mercedis. Deficiente disciplina atque arte militari,
multi præclari milites, qui egregia in hostem facinora edide-
runt, digni vexillo, digni vite, digni paludamento, prætermi-
tuntur, atque vulgo non exenti delitescere sinuntur. Sic negle-
cta virtus hebescit: sic Martius suffocatur spiritus: sic bona in-
dolessepelitur. At qui nobilitate valent, qui auos, qui proauos,
qui stemmata possunt enumerare, qui fautores, qui promotores
habent: ab ipsis fere cunis, & fascijs; certè à scholis, à fornace, à
virgis calentes, inuestes & imberbes adhuc, totis subinde cohor-
tibus regendis præficiuntur. Hinc tam strenuè militatur: hinc cū
meretrice, nouerunt, non cum hoste congredi; hinc primi sunt

in.